

STAPHYLS.
Tomus.
mitt:



Nf. 27.



41.
73.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
REPUGNANTIA
ÆTERNITATIS
CREATURARUM,
Quam
Auctoritate ac permisū
Amplissimi Senatūs Philosophici
In Celeberrimā ad Albīm Academiā
Publico placidoq; Eruditorum Examini
submittent
PRÆSES
M. POLYCARPUS LEYSERUS,

Alumn. Elect.

&
RESPONDENS

JOHANNES KRAGIUS,

Alsia-Holsatus.

A. O. R. cl. Ic XC. VIII. Id. Martij.

H. L. Q. C.

ap.

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI FINCELII,

No. 40

zu 42



VIRIS

MAGNIFICO, NOBILISSIMIS, CONSUL.

TISSIMIS EXCELLENTISSIMIS^{QUE}

DN. D. JOH. CHRISTOPHORO

Herolden /

JCto Consumatisimo, Serenissimi ac

Potentissimi Electoris Brandenburgici in Ducatu Magdeburgensi Consiliario Aulæ, Justitiæ, Consistorii &c. &c.
eminentissimo,

DNO. D. CASPARO LYSERO,
Collegii Juridici in Academiâ Witte-

bergensi, Judicii Provincialis, qvod in Inferiore Lusatiâ est,
Assessori Gravissimo, Reiq; Publ. Consuli ac Syndico optimè
merito, Curiæ Electoralis & Consistorii Ecclesiastici

Advocato ordinario maximè
conspicuo,


DNN Patronis, Evergetis ac Promotoribus sum-
mâ cum observantiâ perpetim colendis

Primum hoc specimen Academicum cum voto
omnigenæ salutis ac prosperitatis

offere ac dedicat

Humilissimus Eorum Cliens ac necessarius
M. POLYCARPUS LEYSERUS,

W. •



DEUM T. O. M. universum hoc mundi systema ex
nihilo intra sextiduum condidisse, ex Scripturis *Marc. i. 14*
constat. Qvibus cum destituerentur Gentiles, nec
tamen, ex nihilo aliquid fieri posse, ratione asseqvi
valerent, eorum aliqui variis cogitationibusinne-
xi, eò tandem devenere, ut mundum ab æterno es-
se docerent; Qvæ verò illorum doctrina ex scholis Christiano-
rum meritò exterminata fuit. Illud autem subit mirari, reperi-
inter Philosophos Christianos, qui tametsi conditum à Deo
mundum in tempore non negent, haud tamen repugnare afferant,
potuisse illum ab æterno esse. Qvod, cum nobis secus, neccitra
absurditatem admitti posse videatur; Placuit, cùm specimen
aliquid publicum exhibendum esset, in veritatem hujus rei,
sin minus secundūm materiæ dignitatem, at certè proconcessis à *104,3.*
Deo benignissimo viribus, paulò penitus inquirere; qvod ut be-
nè feliciterque vertat, immortale ac æternum Numen veneramur.

§. I.

Qvâ quidem in re consilio maximè prudentiâqve opus
esse, is facile perspicit, qv non cum vulgaris conditionis hominibus
negotium nobis esse cogitaverit, sed cum oīnni eruditioñis gene-
re præstantibus viris. Ex qvibus ali eò usq; etiam sunt progressi
ut actualem æternæ durationis existentiam, rebus à Deo pro-
ductis abscribere hand erubescerent; Qvos inter principem locum
tenet Aristoteles Stagirita, vir summâ ingenii vi, nemineq; suæ æta-

A 14

eritatis nū;
ut ab
trite
et hunc.

Heb:11:3

Petr:3:10.

Plato

Proclū
Averōēs
Hermogenes

Socinus
Smalcianus
Goslavius
Arminianus

tis inferior, qvi in scriptis, qvæ dc rebus naturalibus concinnavit l. 8.
cap. I. & lib. I. eorum, qvos de cœlo conscripsit cap. 10. t. 102. nec
non lib. Met. 12. cap. 6. tantâ animi constantiâ universi hujus æter-
nitatem docuit, ut minimè à conceptâ hâc opinione depelli po-
tuerit, eô maximè utens argumento, qvod ex nihilo nihil qvici:
qvam fieri possit, qvin imo intelligentias cœli, motusqve ejus di-
cat æternos, qvemadmodum id Cl. Slevogtus in Disp. Acad. Disp.
16. pag. 347. rectè annotavit. Conf. Doctissimus Parisiensium
Professor P. Gassendus lib. I. Phys. Sect. I. cap. 6. pag. 162. Cui ex asse
convenit, qvod de cōdem judicium tulit Franciscus Valesius, qvi
cap. I. pag. m. 8. Phil. fac. Aristoteles, inquit, uti nullum
futurum mundi interitum credidit, ita nec temporalem mundi
ortum, sed æternam qvandam à causâ primâ emanationem ac-
dependentiam. vid. D. Joh. Affelmannus Syntagm. parte I. Disp. 14.
pag. 418. P. H. de Mendoza. Disp. 17. Sect. I. pag. 478. Nec vero primus
ille hujus sententiæ fuit auctor: Nam & Plato, qvamvis conditum
hoc universum admittat, derivat tamen istud à materiâ æternâ, uti
Affelmannus & Valesius l. c. de ipso annotant. Qvos vero de-
inceps magno numero alii securti sunt: Proclus apud Philoponum,
Averōēs lib. 8. Phys. cap. I. de cœlo, aliiq; qvorum vestigia legit ex
hæreticis cum primis Hermogenes Afer, de qvò Tertullianus cap. I.
contra Hermogenem sumpfit, inquit: à stoicis materiam cum Deo
ponere, qvæ & ipsa semper fuerit, nec qvæ nata, nec qvæ facta, nec ini-
tium habens nec finem, ex qvâ Deus omnia fecerit. A qvibus non
multùm alienus est, constans suæ sectæ defensor Socinus prælect.
cap. 8. fol. 25. nec non Smalcianus contra Franz. pag. 414. & Goslavius
contra Kekermannum fol. 10. & ex Arminianis Episcopius lib. 4.
Instit. Sect. 4. cap. 14. qvi omnes in eō occupati sunt, ut universum
hoc, cunctasq; ejus partes ab æterno esse, efficiant.

§. II.



Verum hæc sententia ab accuratioribus jam dudum profligata & explosa satis est: Nec, qvæ ei opponi possent argumenta, ubi id facere visum fuerit, è longinquo petenda forent: At major difficultas est, qvæ circa Recentiorum qvorundam doctrinam se exerit, qvi tametsi nunquam concedant, actu dari æternam rerum creaturarum essentiam, potuisse tamen eandem ab æterno produci seriò contendunt. Et difficilem qvidem rem esse inde satis appareat, qvod nec ipsis istius sententiæ defensoribus inter se conveniat, plurimis in diversas ab invicem abeuntibus partes, ex qvibus alii, absq; ue ullâ qvidem limitatione ac citra specialem entis denominationem, possibilitatem existendi ab æterno, rebus creatis tribuunt, ac urgent præterea rationem, qvod nulla rei detur repugnantia, tum ex parte Creatoris, tum ex parte Creati, tum etiam ex parte Creationis, ex qvibus tandem concludunt, qvod ubi non reperiatur talis repugnantia, ibi certò detur possilitas, uti id expressum habet verbis B. Scheiblerus lib. 2. Met. c. 3. art. 2. punct. 6. num. 645. pag. 159. A qvibus non multùm ab ludunt illi, qvi universi hujus machinæ æternitatis possibilitatem concedunt excipiunt tamen generationes tam formarum substantialium quam accidentium, qvos inter primô loco ponendus est Petr. Vasquezius parte I. Summ. Disp. 177. cap. 5. n. 16. Tom. 2. Comment. in Thom. f. 395.. Nec desunt alii, qvi æternitatis possibilitatem interpretantur saltem de inferiorum generationibus simul ac corruptionibus, qvibus cum facit Hervæus lib. 2. sent. Distinct. I. art. 2. Item Javellus lib. 12. Met. qvæst. 14. conclus. 4. apud Slevogtum Disp. Acad. 19. th. 3. pag. 435. Alii deniq; subintelligunt restam corruptibles, quam incorruptibles, sed permanentes, uti Thomas Parte I. summ. qvæst. 46. art. 2. it. Argentina 2. Sent. Dist. I. qvæst. 2. art. 2. Gabr. Biel ibid. qvæst. 3. ac Didacus Masius ad lib. 8. Phys. cap. 1. & 2. qvæst. II. Docente eodem Slevogto L.c. th. 4. Qvâ in re consentientem.

A 3

habent

habent Franciscum Svarezium, qui in Disp. Met. 20. Sect. 6. num.
15. sqq. pag. m. 491. fusè deducit hanc sententiam, variisq; eam
probat argumentis.

§. III.

Ut ut autem non pauci sint, iijq; accuratissimi viri, qui
sententiam hanc suam faciunt; nobis tamen rei veritas evidentior
est, quam ut auctoritati cedendum, & ab aliis non minus præ-
stantibus viis abcundum existimemus.

§. IV.

Ante autem quam rem ipsam aggrediamur, operæ pretiū
erit, vim ac efficaciam præcipuorum vocabulorum eruere, ne his
omissis Andabatarum more ac ob velatis quasi oculis pugnare vi-
deamur. Maximum verò momentum in eō positum esse vide-
tur, ut quid per vocabulum Æternitatis hic intelligatur, rectè te-
neamus. Cuius quidem Onomatologiam ut hic tradamus, cùm
præter necessitatem rei sit, relinquentiam iis existimamus, qui in
sedulâ vocabulorum enucleatione ac inquirendis eorum origini-
bus operam suam præclarè huc usq; posuere. Potius, cùm omnis,
quæ à ratione suscipitur de reali quâ institutio (juxta Cic. lib. I. off.
cap. I.) debeat profici sci à definitione, ut intelligatur quid sit de
quod disputetur, ex mente Excellentissimi Domini Donati (Patro-
ni, Præceptoris, studiorumq; nostrorum Promotoris piè colen-
di) æternitatis definitionem hanc constituimus, quod sit duratio,
quæ nec initium, nec finem habet. vid. ejus Metaphys. U. ualis cap.
II. §. s. pag. m. 80. Et ut de ejus conceptu contrahibili prius dicamus,
quem cum tempore ac ævo habet communem, ille sese intelle-
ctui nostro sifit, sub nomine durationis, quam constat inferre
permanentiam entis in suo esse. Conceptus autem proprius
constituitur negatio initii pariter atque finis; quam omnino

dam interminabilitatem alii, puta & à parte ante & à parte post, nuncupare conservaverunt.

§. V.

Qvibus ita presuppositis, animadverto hanc æternitatem nisi independentiam & qvè ac immutabilitate, tanquam radice, ac ideo soli Deo enti independenti ac immutabili esse propriam. Unde nemo non videt, esse aliam illam æternitatis speciem, qvæ creaturis sub possibilitatis hypothesi à non nullis tribuitur, qvam ita describere licet: qvod sit duratio, qvæ nudam initii ac finis importat carentiam, tametsi non neget utriusq; possibilitatem; qvam qvidem descriptionem in hoc cum æternitate suprà expositâ convenire cernimus, qvod eodem cum eâ gaudeat conceptu generico, duratione nempe; qvoad differentiam verò specificam in eō maximè à priori discrepet, qvod illa absolute ponat tām initii qvam finis carentiam, hæc verò introducat istam cum aliquā sui extensione, ut simul contineat possibilitatem initii atq; finis.

§. VI.

Vocabulum Creaturæ, qvod alterum in inscriptione explicandum occurrit, hic ita accipimus, qvò omne id, qvod est ab alio per creationem, suā latitudine complectitur, & à Metaphysicis participiali nomine Creatum appellatur. vid. Summè Reverendus ac Amplissimus Dn. D. Waltherus Patronus ac Preceptor noster æternūm colendus in Coll. Met. MSC. cap. II. præcept. 2. Intelligimus autem eō ipso, qvō, dicimus omne id, qvod est ab alio, nihil aliud, qvam ens, qvod dependenter ab ente in creato derivatur, non equidem sumpto vocabulo dependenter in impropriā vocis usurpatione, qvà vel pro consecutione quācunq; unius ad alterum, vel pro convertentiā uniq; cum aliō accipi conservit; sed propriè pro eō, qvod esse suum juxta Cl. Weisitum

cap.

cap. 6. Met. habet ab alio se essentialiter priore; qvod sanè de Crea-
turâ dici posse putamus, cùm ea ipsa nullam naturæ suæ habeat
existentiam, nisi dependenter ea sit ab alio se essentialiter priore,
& ante ejus productionem existente. Per nō Illud verò à qvō cre-
atura est per creationem, significamus ens in creatum, non qui-
dem negativè accepto vocabulo, pro cō qvod non est creatum
nullamq; adeò positivam entitatem habet, sive eam cæteroquin
habere possit, sive minus; sed positivè pro cō, qvod cùm veram
entitatem habeat, non tamen sit ab alio per creationem. Ubi por-
ro ratio habenda vocabuli Creationis, qvod in propriâ ac speci-
ali significatione hic accipiendum erit, pro productione entis, im-
mediate à Deo factâ, seu ex præexistente qvâdam materiâ, seu o-
mnino ex nihilo.

S. VII.

His ita explicatis nunc ad rem ipsam accingimur.
Cardo autem qvæstionis in eō consistit: annon aliquia in creaturis
naturæ detur repugnantia, secundūm qvam competere iis omni-
nō haut possit qvædam participata ab æterno duratio? qvod nos
affirmandum putamus. Ubi autem per repugnantiam par-
ticipatæ creaturarum æternitatis eam entium creatorum
intelligimus conditionem, qvà impossibile ipsis est, eā
naturæ esse perfectione, qvæ nudam initii atque finis
importet carentiā. Hæc enim vis est vocabuli repugnantiae, qvip-
pe qvæ semper inconvenientiam infert ad terminum alium, cum
qvō componitur, ac simul tollit omnem positivam possibili-
tatem. Ubi illud non prætereundum, nobis hōc locō non esse
sermonem de decreto DEI, qvod ille de producendo ente se cum
ab æterno formaverit; Neq; istud venire in controversiam:
Annon mundus infinito temporis intervallo citius à DEO creari
potuerit, qvām de facto qvondam ab ipso creatus est. Item in-
telligi æternitatem non tām à parte post & à posteriori, qvām à
parte

parte ante & *â priori*; cùm certùm sit dari nonnullas crea-
turæ qvæ æternæ sint *â parte post*, angelos scilicet & animas
rationales. Videlicet summa disputationis eò reddit: An
creatura ab æterno ita creari potuerit, ut DEUS existentiâ
non antecesserit existentiam creaturæ, sed hæc cum Illo, non
naturâ qvidem, duratione tamen simul fuerit? Qvod nos
repugnare omnino asserimus

§. VIII.

Demonstramus autem istam repugnantiam primò qvīdem à ratione Effectus seu causati. Quemadmodum enim constat creaturam omnem à qvōcunq; deum producta fūerit, rationem habere effectūs; cō qvod impossibile sit, qvod aliquid causa efficiens sit sui ipsius, cum hōc modō prius omnino esset se ipso, qvod absurdum; ac præterea sine causā efficiente nihil certe fieri possit: Ita non minus certum est, qvod omnis effectus, dum à suā causā producitur, fiat, & ab eādem suū esse accipiat. Jam verò qvicquid fit, illud incipit esse; qvicquid incipit esse, illud capit initium suæ existentiæ, qvicquid cepit initium suæ existentiæ, illud non extitit ab æterno, alioquin non habuisset suæ existentiæ initium; unde conseqvens est creaturam non potuisse ab æterno produci. Qvin & alio modō concludimus: Qvicquid accipit esse, aliquo momento accipit illud, aliás ne acciperet quidem, si in nullo momento; qvod momentum, seu à me assignari posfit, seu non, erit tamen vel primum, vel non primum: Si primum, tunc minime ab æterno erit, utpote in qvō nullum primum datur; si non primum, multò minus ab æterno erit, qvoniam istud ab alio primō momento antevertitur. Atqvi Creatura accepit esse: Ergo in aliquo momen-

to illud accepit; ac istud momentum, vel primum erit, vel non primum utrumcunque autem istud fuerit, certe tamen illa per jam dicta minime poterit esse æterna.

§. IX.

Affine huic argumento est illud, qvod à conceptu creaturæ depromitur. Omnis scilicet creatura, qvando producitur, à non-esse ad esse transfertur; sed proposito, aliquam creaturam ab æterno fuisse productam; tum istud non esse, vel simul duratione fuit cum esse, vel duratione illud antecedit; atqvi prius affirmari nequit, qvia alias esse & non esse, duo contradictoria, de uno subjecto, uno cōdemque temporis momento prædicari possent, qvod est impossibile; qvod si verò posterius afferatur, tum infertur id, qvod est contra hypothesis: Nam si non-esse fuit ante esse creaturæ, tum item illud non-esse ab æterno fuit, qvoniam nunquam cepit, siqvidem suum oppositum ante se non habuit; sed si non esse creaturæ ab æterno fuit, verum est dicere, hæc creatura ab æterno nō fuit, & per consequē falsū, hæc creatura ab æterno fuit, qvia hæc sunt contradictoria; Cuj⁹ argumenti confirmatione peti potest à paritate creationis & annihilationis. Ut enim cùm annihilatur creatura, non-esse ita consequitur esse, ut non-esse sit posterius momento durationis ipso esse, & si semel ceperit, nisi mutatio interveniat, in inæternum se porrigat; ita cùm producitur ea, necesse est, ut ejus esse sit posterius durationis momento, ipso non esse, hoc autem cùm ante non dum cum esse (commutatum sit, per omnem æternitatem retro se diffundat. Accedit, qvod terminus à qvō creationis (specialissime sic dictæ) sit nō Nihilum, hoc autem sibi omnino vendicet aliquod

quod momentum durationis conceptile. Jam verò si crea-
tura quædam ab æterno esset, debuisset omne durationis mo-
mentum antevertisse & conseqventer etiam ipso nō hilo prior
fuisse. At hoc est absurdum, quoniam, sic terminus ad quem
foret ante terminum à quod, quod utriusque conceptui re-
pugnat.

§. X.

Huc quoque facit illud argumentum, quod à creatura-
rum finitudine, inferre licet: Quippe debet inter essentiam rei
& ipsius modum certa intercedere proportio, ita ut modus
minimè sit essentiâ perfectior, tūm maximè cùm ab eādē non
est distinctus realiter. Atqvi essentia finita creaturæ est, Ergo
etiam durationem ipsius, quæ modus est essentiæ, & à parte
rei item cum illâ, finitam esse oportet. Quæ collectio por-
ro inde confirmatur: Quod finitum non sit capax infiniti; &
quod suscipiens non poscit susceptâ ratione esse imperfectius:
Denique quod idem à se infinitâ ratione non distingvatur;
quæ quidem omnia aliter se habere necessariò conseqver-
tur, si finita creatura infinitæ durationis possit esse par-
ticeps.

§. XI.

Nec minoris momenti est illud argumentum,
quod à dependentiâ creaturæ in conservando desumitur:
Nam si quædam creatura extitisset ab æterno, tum eā
aut conservata à DEO fuisset ab æterno, aut non con-
servata fuisset; alterutrum horum necessariò est conceden-
dum, quia propositio ex contradictoriis constat; sed neutrum

B 2 dici

happos

dici potest: Non prius, qvia aliàs creatura ante creationem fuisset producta; qvod est absurdum. Qvam collectiōnem probo, qvia momentum creationis debuisset antecedere momentum conservationis; qvandoqvidem conservatio nihil aliud est, qvàm rei productæ in existendo continuatio, qvæ cùm divisibilis sit à rei productione, non potest eòdem cum ipsâ momento gaudere. Nec posterius, qvia tum existentia rei productæ aut momento tantùm antecessisset ipsius conservationem, aut duratione longiori, sed finitâ, aut deniqve duratione infinitâ: Sed non momento tantùm, aut qvâcunqve duratione finitâ; qvia aliàs res illa non fuisset ab æterno, cùm æternūm dici non possit, qvod aliud in tempore seu cum sui initio factum momento saltem, aut finitâ duratione antecedit: Nec duratione infinitâ: Qvia aliàs creatura per infinitam durationem sine conservatione fuisset; qvod est contra ipsius dependentiam. Relinquitur Ergò qvod creatura prorsus ab æterno esse non potuerit.

§. XII.

Aliud argumentum ab annihilabilitate creaturæ petitur. Nam qvandocunqve creatura extitit, ad nihilum redigi potuit; qvod si ergo ab æterno extitit, etiam ab æterno annihilari potuisse seqvitur; Sed qvocunqve momentum hic assignetur, qvô fuerit annihilabilis, certè illud vel primum fuit, vel non - primum. Si primum: Tum aut extitit antè creaturâ, ubi non fuit annihilabilis, qvod est contra veritatem: Aut non fuit æterna, cùm habeat primum suæ durationis initium; Qvod est contra hypothesin. Si non - primum: Habuit aut ante se aliud momentum, adeoque si in eòdem

cōdem creatura desissit, minimē ab æterno annihilata fuisse. Jam si qvōcunqve momento assignato actu creatura ab æterno annihilata (de possibiliate loqvor) dici non potest, etiam nec ab æterno annihilabilis esse & conseqventer nec existere potuit.

§. XIII.

Deniqve non exiguâ adversariorum sententia absurditate premitur: Si enim creatura qvædam ab æterno existeret, seqveretur DEum non liberè, sed nececessariò eam produxisse: Sed conseqvens absurdum esse nemo non intelligit? Ergò & antecedens tale esse oportet. Propositionis veritas sic ostenditur: Nam si liberè eam Deus produxit, potuit eandem alio momento, nempe vel paulò ante, vel diu ante; vel paulò post, vel diu post, qvām ubi actu eam creavit producere; sed nullum ex his affirmari potest: Non paulò, aut diu antè, qvia alioquin ab æterno non produxisset; cùm æternum nihil se prius, ne qvidem conceptu habeat; Nec paulò post, qvia sic æternitas paulò momento antecessisset tempus, & conseqventer ab hoc non distaret, immenso intervallo. Nec deniqve diu post: Qvia seqveretur, dari qvædam momenta (interjecta scilicet inter æternitatem & tempus secuturum) qvibus Deus creare non pouerit, qvod absurdum. Nec minus absurdum illud est: qvod si creatura à Deo posset produci, qvæ ab æterno existeret, tum vel adhuc hodie à Deo creari posset, vel potuisset olim tantum effici in qvōcunqve æternitatis momento assignabili; sed qvodcunqve horum dixeris, absurditate te implicabis. Nam si etiam hodie id fieri posse asseveraris, æternitatem aliquam adhuc hodie incipere posse concedes: Si qvondam, saltem,

Saltem, DEUM impotentiæ haud obscurè argues, qvoniā id,
qvod antè efficere potuerit, jam non amplius cūn p̄stare
posse affirmabis. Conf. Excellentissimi Domini Donati
Coll. Met. MSC. cap. II. art. I. th. 2.

§. XIV.

Positō ita ac satis firmato nostræ sententiæ fundamen-
tō, conseqvens nunc est, ut de rationibus, qvibus adversarii
moventur, dispiciamus. Sunt autem illorum plurimi in cō
potissimum occupati, ut ostendant, nullam ejus rei dari
repugnatiam, seu ex parte Creatoris, seu ex parte creaturæ,
seu ex parte ipsius Creationis. Non ex parte Creatoris, in-
qviunt qvia nihil impedit, qvo minus aliquis effectus sit
qvando ejus causa est: Nam posse aliquando id qvod ab alio
est, simul esse cum cō à qvo est. Non ex parte Creaturæ,
qvicqvid enim DEUS ab æterno potuit velle, id ab æterno
potuit producere, sed creaturam DEUS ab æterno potuit velle,
Ergò. Hinc qvicqvid DEUS ab æterno potuit producere, id
ab æterno potuit produci. Atqvi creaturam DEUS ab æterno
potuit producere. Ergò. Nec tandem ex parte Creationis,
qvia creare est facere aut fieri indivisible ac momentaneum:
qvando autem facere, & fieri indivisibiliter ac tota simul sunt,
tunc facere, fieri ac factum esse etiam simul sunt, & conse-
qenter effectus non est duratione posterior ipso facere vel
fieri. Hinc qvicqvid habet esse à suā causa per fieri indivisi-
ble ac momentaneum, illud si causa causat ab æterno potest
etiam esse æternum, Creatura &c, E. Ubi nos qvidem qvo.
ad primum minoris membrum facile concedimus, defe-
ctum in D E O qværendum non esse, qvippe qvi potentia
gaudet infinita, per qyam pro lubitu p̄stare potest, qvic-
qvid

quid rationem possibilatis habet : Negamus autem , DEUM potuisse velle producere creaturam sibi coæternam , qvoniā vidit hujus impossibilitatem , adeoq; nec ferri in eandem suā voluntate potuit . Ad alterum , qvod nempe ex parte creaturæ nulla adsit repugnantia ob antecitatam rationem , respondemus per distinctionem inter æternū DEI & æternū creaturæ ; major enim propositio , si hoc sensu intelligatur : Qvicquid DEUS ab æterno sui h.e. dum ille extitit , potuit velle , id ab æterno sui (ipsius DEI) potuit producere , h.e. ut nullum æternitatis divinæ in momentum queat assignari , qvō id non potuerit producere , tum verissima non ipsa solū major , sed & conclusio est . Similiter etiam hæc bona est collectio , quando juxta limitationem datam porro sic infertur : Qvicquid DEUS ab æterno sui potuit producere , id ab æterno DEI potuit produci , hoc est , ita , ut qvam qvam infinites antè qvam creatum est productum fuerit , tamen , qvia DEUS adhuc prius extitit , etiam produci ab eo ante id temporis , qvō creatum est , potuerit . Atqui creaturam DEUS ab æterno sui potuit producere Ergo Creatura ab æterno DEI potuit produci . Neq; tamen hæc ratione in ipsam creaturam redundat æternitas , qvoniā licet in infinitum anticipetur creaturæ existentia , illa tamen anticipatio nunquam exhaustiet divinam æternitatem , & si per impossibile eandem omnino exhaustiret , minimè tamen creaturam expertem initiū atq; inceptionis redderet . Ex qvō jam oppidò clarum evadit , qvod in Syllogismis adductis , ab æternitate DEI ad æternitatem rei producibilis minimè liceat colligere . Atque adeo licet DEUS qvod produxit in tempore , potuerit & velle & producere ab æternitate sui modō antetradito : Non tamen id qvod productum est , statim ab æterno

æterno sui h.e. citra sui inceptionem, qvā postulat æternitas,
producī autē existere potuisse seqvitur. Qvod verò ad tertium
membrum, attinet, id pari de causâ probabile admodum
non est, considerato enim ejus qvō nititur principio, erit istud
hoc, qvō dicitur causa causat ab æterno, qvod verò diverso
admodum intelligitur modō, tām ratione causæ, ita, ut
causa eatenū causare ab æterno dicatur, qvatenus ea qvan-
docunq; demum causet, subinde tamen prius atq; prius per
interminabilem qvandam anticipationem causare potest:
Qvām etiam ratione ipsius causati, ita, ut causa eatenū ab
æterno causare dicatur, qvatenus causato dat esse, qvod nun-
qvam incepit, sed semper extiterit. Qvod si autē principium
priori sensu acceptum ad creationem applicetur, tūm major
erit falsa, sin posteriori, conceditur qvidem conclusio, ea ta-
men cùm saltem hypothetica sit fundata in conditione im-
possibili, qvæ nunquam impletur, in re ipsā nihil ponit,
ad eoq; nec creaturæ aliquam æternitatis possibi-
litatem conciliari potest. Conf. Excel-
lentissimi Domini Donati Coll.
MSC. l.c.

T A N T U M.



F III




3

A

VD77

Retro



FarbKarte #13



41.
43.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
REPUGNANTIA
ÆTERNITATIS
CREATURARUM,
Quam
Auctoritate ac permisū
Amplissimi Senatus Philosophici
In Celeberrimā ad Albī Academiā
Publico placidoq; Eruditorum Examini
submittent
PRÆSES
M. POLYCARPUS LEYSERUS,
Alumn. Elect.
&
RESPONDENS
JOHANNES KRAGIUS,
Alsia-Holsatus.
A. O. R. c. Ic. XC. VIII. Id. Martij.
H. L. Q. C.
WITTEBERGÆ,
Typis CHRISTIANI FINCELII,
170.40
zu 42